



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***KOTAKINA-BALUENSIS\****

In Malaesia constituitur nova Provincia Ecclesiastica Kotakinabaluensis, cuius metropolitana Ecclesia erit  
Sedes eiusdem nominis.

Cum Ecclesia Catholica in Malaesia, in territorio Provinciae Ecclesiasticae Kuchingensis, haud parva incrementa passim suscepisset, ut ipsis Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris atque mulieribus et Christifidelibus ibidem operose ad laborantibus merita tribueretur testimonium laudis eorumque animi incitarentur ad novos maioresque in dies exantlandos labores necnon ut ipsa Ecclesia firmiter constabiliretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque pariter eorum, quorum interest, votis, censuit nuper novam Provinciam Ecclesiasticam iisdem in locis esse condendam. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. Novam Ecclesiasticam Provinciam in Malaesia constituimus Kotakinabaluensem efformatam dioecesi Kotakinabaluensi, quae erit metropolitana Sedes, et Ecclesiis Keningauensi et Sandakana. Insuper Venerabilem Fratrem Ioannem Lee Hiong Fun-Yit Yaw, hactenus Episcopum Kotakinabaluensem, renuntiamus Archiepiscopum Metropolitanam Kotakinabaluensem. Quae praescriptimus committimus perficienda Venerabili Fratri Salvatore Pennacchio, Archiepiscopo titulo Montis Marani et Apostolico Delegato in Malaesia, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis memoratae Congregationi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo tertio mensis Maii, anno Domini bis millesimo octavo, Pontificatus Nostri quarto.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IVAN card. DIAS  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandez, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. C (2008), n. 9, pp. 587-588 © Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana